



ARGVMENTVM SEQVENTIS LIBELLI  
PER BEAT. RHENANVM.



IC LIBELLVS nihil aliud continet, quàm catalogum ac nomenclaturam hæreticorum, non disputationem. Proinde sic illum eram inscripturus, quem ἀνεπίγραφον repereram in Paterniacensi codice: nisi in altero libro titulum habuisset aduersus omnes hæreses. Et Ang. Politianus opera Tertulliani recensens, libri meminit aduersus omnes hæreticos, hunc haud dubie designās. Porro in Hirsaugiensi codice precedebat librū de Præscriptionibus, sed id Librarij incuria factum puto: cum nihil aliud sit, quàm Appendix quædam superioris libri, indicans quo tempore quæque hæresis eruperit, & quam profiteatur impietatem,

Q. SEPTIMII FLO-  
RENTIS TERTVLLIANI, ADVERSVS  
OMNES HÆRESSES, SEV POTI-  
VS DE HÆRESIBVS LIBER.



Dositheus Sa-  
maritanus.

Sadducei.

Pharisei.

Herodiani.

Simon Magus.

Hirsaug. exē. sic ha-  
bet, \* à demōe se er-  
rante, qui esset sapiē-  
tia descendisse.

Menander.

Saturninus.

VORVM hæreticorum, ut plura præteream, pauca perstringā: taceo enim Iudaismi hæreticos, Dositheum inquam Samaritanum, qui primus auctus est propheta, quasi non in spiritu sancto locutos repudiare. Taceo Sadduceos, qui ex huius erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresim etiam resurrectionem carnis negare. Prætermitto Phariseos, qui additamēta quædam legis adstruendo à Iudæis diuisi sunt. Vnde etiam hoc accipere ipsum quod habet nomen, digni fuerunt. Cum his etiam Herodianos, qui CHRISTVM Herodem esse dixerunt. Ad eos me conuerto, qui ex Euangelio hæretici esse uoluerunt: ex quibus est primus omnium Simon Magus, qui in Actis Apostolorum condignam meruit ab apostolo Petro iustamq; sententiam. Hic auctus est summam se dicere uirtutem, id est, summum deum. Mūdum autem ab angelis suis institutum, \* ac demōne se oberrante qui esset sapientia discendi: se quærendum apud Iudæos, se in phantasmate dei nō passum, sed esse quasi passum. Post hunc Menander, discipulus ipsius, similiter magus, eadem dicens quæ Simon ipse: quicquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, Negans habere posse quenquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. Secutus est post hæc & Saturnin⁹, & hic similiter dicens, Innascibilem uirtutem, id est, deum: in summis & illis infinitis partib⁹ & in superioribus manere, longe autem distantur: & ab hoc angelos inferi-

ores